

## VICARIUS APOSTOLICUS.

De vicario Apostolico hæc speciatim adnotanda.

(1. Pro vicario Apostolico non intelligitur hic eminentissimus cardinalis vicarius Urbis, cui competunt amplissimæ facultates ex concessione variorum Summorum Pontificum, et signanter Pauli II, constit. incip. *Licet Ecclesiarum*, Julii II, constit. incip. *Decet*, Pauli III, constit. incip. *Licet*, Clementis X constit. incip. *Supremo*, Innocentii XIII constit. incip. *Quamvis Ecclesiarum*; et novissime Benedicti XIII: « in suo motu proprio expedito sextodecimo Kalendas Septembris anno 1724 Pontificatus anno primo; » ubi, ut observat et refert eminentissimus cardin. Petra, tom. V *Comment. in constitut. 1 Pauli II*, n. 61, amplas facultates a Clemente X, eminentissimo Urbis vicario concessas, et ab Innocentio XII restrictas ampliavit ad terminos primævæ concessionis Clementis X. Unde de isto non est hic sermo, sed de illo vicar. Apostolico, qui interdum mittitur a Summo Pontifice cum brevi, vel a sacra congregatione Episcoporum, et Regularium ex aliqua legitima causa cum litteris ejusdem, cum facultate administrandi totam jurisdictionem episcopalem, aliquibus tamen exceptis casibus in particulari; Et hic vicarius Apostolicus mitti solet aliquando Sede episcopali plena, et aliquando Sede vacante.

(2. Talis vicarius Apostolicus potest ibi ea omnia facere, quæ potest episcopus, exceptis Pontificalibus; sicque jurisdictio vicarii Apostolici est eadem ac episcopi, can. *Quoniam 19*, dist. 61, cap. *Is cui*, De electione, in 6.

(3. Vicario Apostolico, ultra potestatem ordinariæ jurisdictionis sibi traditæ, concedi solent multæ aliæ facultates pro temporum ac personarum diversa exigentia; unde diligenter attendendum est Breve Pontificium, et animadvertendæ litteræ sacræ congregationis, si ab ipsa sit missus, ac deputatus; signanter autem solet ei concedi, ut possit exsequi litteras Apostolicas episcopo, vel ejus vicario directas, æque ac si dirigerentur ipsimet vicario Apostolico; sic declaravit etiam in casu dubio sac. cong. Episcoporum, in una *Assisien.* 10 Maii 1593, et in una *Bisinianen.* 18 Maii 1632.

(4. Vicarius Apostolicus potest visitare diocesium, et si cum ipso visitet etiam episcopus, non potest episcopus se ingerere in visitatione, sed solum in exercitio Pontificalium, si non sit ei interdictum; nec possunt episcopus et vicarius Apostolicus simul ducere secum plus quam quinque personas, ut, ne clerus eo casu duplicibus expensis gravetur, statuit sac. congreg. Episcoporum, in una *Cajacen.* 20 Aprilis 1601, in *Consentin.* 19 Novembr. 1632, et in *Bisinianen.* 23 Augusti 1632.

(5. Ad vicarium Apostolicum solum sine interventu episcopi spectat facere concursum, sicut et synodum et declarare magis

idoneum, quia episcopus non habet, nisi administrationem ordinis; nisi sit ipsi interdita etiam ista administratio. Sac. congreg. Episcoporum, in *Licien.* 9 Junii 1633.

(6. Potest, imo debet vicarius Apostolicus invigilare super manutentione introituum mensæ episcopalis, cum ad ipsum hoc spectet. Sac. congreg. Episcoporum, in una *Tranen.* 7 Junii 1632.

(7. Non tamen potest se intromittere in redditibus mensæ, nisi in quantum sibi debetur pro suis provisionibus, et interesse, et non in aliis. Sac. congreg. Episcoporum, in *Caputaquen.* 8 Octob. 1585, et in *Lancianen.* 17 Novemb. 1646.

(8. Neque potest dimissorias ad ordines concedere, cum hæc facultas illi in specie auferri soleat in brevi, ut pluries censuit sac. congregat. Episcoporum, et signanter in *Tranen.* 9 Junii 1745, et in *Ugentin.* 3 Octob. 1653. (9. Neque potest vicarius Apostolicus concedere dimissorias subditis nullius, sed ipsi concedendæ sunt ab episcopo viciniori. Sac. congreg. Episcoporum, in una *Nullius* 9 Aug. 1694, et antea sæpissime, ut refert Nicolius in *Floscul.*, verb. *Dimissoria*, num. 4.

(10. Neque potest beneficia conferre, nisi specialiter sibi in brevi fuerit concessum, sed hoc spectat ad episcopum in suis mensibus de jure ordinario. Sac. congreg. Episcoporum, in *Tarentina* 3 Decemb. 1686. (11. Si autem episcopus reperiretur suspensus a jurisdictione, et haberet præservatum jus conferendi beneficia, non posset ex approbatis in concursu parochialis digniorem præeligere, sed hoc pertineret ad vicarium Apostolicum, ut præter decreta, quæ referuntur a Fagnano, in cap. *Ille, ne Sede vacante*, num. 30 et seq. declaravit sacra congreg. Concilii, in *Sorana* 12 Decembr. 1699, apud Monacell., part. 1, tit. 4, formul. 16, n. 3. (12. Neque potest processare et punire vicarium episcopi sine speciali licentia et concessione sacræ congregationis, ut declaravit sac. cong. Episcoporum, in *Larinens.* 15 Decembris 1587, et in *Asisien.* 21 Junii 1588. (13. Neque a fortiori potest se intromittere vicarius Apostolicus in causis personam episcopi concernentibus, sive in civilibus, sive in criminalibus, sive in mistis, nisi super his specialiter illi concedatur a Summo Pontifice, vel a sacra congregatione. Sic censuit sacra cong. Episcoporum, in una *Cajacen.*, 20 Aprilis 1640.

(14. Et a contrario neque episcopus ullam habet jurisdictionem et auctoritatem in vicarium Apostolicum, ita ut, si ipse delinquit, nec informationes capere possit contra ipsum, nequidem officio finito; et multo minus poterit edicto aliquo ipsius honorem deturpare, ut declaravit sac. congreg. Episcoporum, in una *Theanen.* 20 Martii 1612, et in *Monopolitana* 16 Octob. 1627.

(15. Item neque potest episcopus tenere vicarium generalem tempore, quo adest vicarius Apostolicus, nec aliquo modo se intromittere valet in negotiis jurisdictionem tangentibus. Imo neque potest exsequi litteras Apostolicas sibi directas sub nomine dignitatis, ut declaravit ead. sac. congreg. Episcoporum, in *Nolana* 27 Septembris 1641.

(16. Vicarius Apostolicus non potest compellere canonicos ad deducendum illum a palatio ad ecclesiam et ab ecclesia ad palatium, quia hoc est proprium privilegium episcopi. Eadem sacra congreg. Episcoporum, sub die 28 Augusti 1589, fol. 268, § 10.

(17. Neque potest prætere, ut sibi ter detur incensum inter missarum solemnias, nempe in principio missæ, post evangelium et in offertorio; sed semel tantum dari debet in offertorio, et non amplius. Et tunc si episcopus est præsens, bis ducto thuribulo, si absens, ter ducto. Sac. cong. Episcoporum, in *Cajetana*, 14 Januar. 1595.

(18. Neque potest prætere, ut sibi deferatur osculandum liber Evangelii, nisi sit episcopus, quia hoc est privilegium solis episcopis concessum. Sac. cong. Episcoporum, 28 Augusti 1589.

(19. Neque potest habere duos clericos cum cottiis, quando celebrat, ut ipsi inservant, etiamsi sit protonotarius Apostolicus; et nec quatuor candelas accensas in altari tenere, nisi hoc fieret propter ibi festivitatem occurrentem. Sac. Rit. congreg. 7 Augusti 1627.

(20. Neque potest facere functiones episcopales absente vel impedito episcopo, sed hoc spectare ad primam dignitatem et successive ad alios seniores de capitulo, declaravit sacra Rit. congreg. in *Brundus.* 5 Februar. 1614 in *Alatrina* 11 Jan. 1618, in *Albaren.* et in *alia Brundus.* 20 Dec. 1625.

(21. Neque potest missas solennes cantare, SS. Sacramentum aut sacras reliquias paratas deferre, nec aliis functionibus ecclesiasticis se immiscere, sed tantum præesse, ut omnia suo ordine recte fiant. Sac. cong. Episcoporum, in *Sassaren.* 14 Aprilis 1592, in *Bisinianen.* 16 Maii 1600, in *Spoletana* 22 Dec. 1611, in *Ortonen.* 19 Sept. 1627.

(22. Vicarius Apostolicus deputatus a Papa durare solet absque controversia etiam Sede Apostolica vacante. Sac. cong. Episcoporum, in *Licien.* 17 Nov. 1590, eodem anno in *Castellanetana.*

(23. Imo si vicarius episcopi mortui fuerat missus a Papa, vel a sacra congregatione, non potest per capitulum, Sede vacante, expelli, et novus vicarius capitularis eligi. Sac. cong. Episcoporum, in *Aquilana* 4 Augusti 1578.

(24. Solet tamen ex abundantia sacra congregatio, occurrente casu vacationis, prohibere capitulis, ut non procedant ad electionem vicarii capitularis: Sac. cong. Episcoporum, in *Spoletana* 2 Aprilis 1591, in *Licien.* 22 Decemb. 1638, in *Basinianen.* 2 Augusti 1647.

## ADDITIONES CASINENSES.

Quoties, vivo episcopo, vicarius Aposto-

licus datus sit, is, adhuc mortuo episcopo, in eodem munere continuat. Quippe ob reverentiam supremæ Sedis non dari in hoc casu locum electioni vicarii capitularis doctores consentiunt, fuitque non semel resolutum per sacram congregationem Conc. Hinc ait cardinalis Petra: « Si eligatur vicarius Apostolicus, et deinde moriatur episcopus, tunc capitulum non potest eligere novum vicarium capitularem, et proinde solet sacra congregatio Concilii prohibere. » *Comment ad Constitut. Apostolic.* tom. 1, *Constit. 2 Leonis IX*, sect. 5, n. 42.

Item, ut habet Pellegrinus: « Capitulum non potest devenire ad electionem vicarii Capitularis post habitam notitiam mortis vel translationis episcopi, quando vicarius episcopi defuncti vel translati missus fuerit a S. Sede Apostolica, vel a sac. congregatione Episcoporum, sic declaravit ead. congregat. in *Aquilana* 4 Augusti 1578, quia durat etiam Sede vacante: eadem congreg. in una *Licien.* 17 Novem. 1590. » *Prax. Vicar.*, part. 1, sect. 4, subsect. 1, n. 21.

« Et revera (prosequitur is idem scriptor, cit. part. 1, sect. 2, subsect. v. n. 9) talis vicarius missus ab Urbe, est vere vicarius apostolicus, et jurisdictionem habet privative quoad episcopum, nec episcopus illum remove potest. Sac. congregat. Episcoporum, in una *Savonen.* 17 Sept. 1605; et in una *Motulen.* 5 Augusti 1630, et in una *Civitalis Castellana* 5 Aprilis 1591 et *Mediolanen.* 8 Febr. 1594 et *Bisinianen.* 18 Martii 1632 et in una *Castren.* 16 Martii eod. anno. Cui sententiæ (sic idem Pellegrin.) adhæreo, quia hodie in praxi servatur, et de facto accidit mihi (prosequitur Pellegrin.) anno 1646, dum essem vicarius Apostolicus in Calabria cum litteris sacræ congregationis. »

Eademque in terminis habentur apud Nicolium, in *Floscul.*, verb. *Vicarius generalis*, num. 39, ubi ait: « Revera talis Vicarius missus ab Urbe, est vicarius Apostolicus, et jurisdictionem habet privative quoad episcopum, nec episcopus illum remove potest. » Atque ad rem allegat resolutiones adductas hic supra a Pellegrino.

(25. Vicarius Apostolicus missus, Sede vacante, potest expedire litteras, quæ vicariis episcopalibus dirigi solent, ac dare dimissorias post annum et infra annum arctatis, si esset vicarius capitularis, nisi hoc ei specialiter sit prohibitum. Sac. cong. Episcoporum, in *Aquil.* 22 Sept. 1628.

(26. Vicarius Apostolicus tenetur residere in diocesi, ad quam regendam missus fuit, nec potest ab ea ad longum tempus discedere, et alium substituere absque prævia licentia sacræ congregationis Episcoporum, ut ead. sac. cong. declaravit in *Spoletana* 19 Jun. 1607.

(27. Quod habet locum, etiamsi sit vocatus ab aliquo principe, nam neque tunc potest. Sac. cong. Episcoporum, in *Messanen.* 27 Maii 1603. (28. Neque potest absque dicta licentia discedere, etiamsi sit accessurus ad Urbem. Sac. cong. Episcoporum, in *Reatina* 22 Decembris 1600.

(29. Vicarius Apostolicus debet habere in choro, si non sit canonicus, præcedentiam supra omnes, et ideo sedere debet in digniori sede, non tamen in solio episcopali. Sac. cong. Episc., in *Cajetana* 22 Januar. 1596. (30. Quod si dignior sedes chori esset occupata, tunc dignitates et canonici descendere debent inferius uno gradu, relinquendo majorem ipsi vicario. Sac. cong. Episcop., in *Licien.* 14 Aug. 1590.

(31. Vicarius Apostolicus debet habere salarium scutorum ducentorum monetæ Romanæ pro singulis annis ab episcopo vel a mensa episcopali sede vacante, nisi in Brevi Pontificio aliter exprimeretur, et insuper scuta quinquaginta ejusdem monetæ pro accessu, et totidem pro recessu; aliquando tamen taxatur minus, vel plus secundum locorum distantiam. Sac. cong. Episcop., in *Caputaquen.* 20 Septembr. 1580, in *Cajacen.* 27 Februar. 1603, et pluries alibi. (32. Quod salarium non incipit currere a data brevis, sed a die possessionis, et ingressus in civitatem, quando capit jurisdictionem exercere; et ratio est, quia pro viatico dantur sibi expensæ accessus, ut dixit ead. sac. cong. Episc., in *Brundusina* 10 Jun. 1611, in *Cajacen.* 13 Novembr. 1640.

(33. Si autem deputaretur vicarius Apostolicus aliquis in eadem civitate residens, non posset iste prætere expensas accessus, neque recessus, si ab ea revera non recederet. Sac. congregat. Episcop., in *Bisimianen.* 14 Junii 1645, in *Tridentina* 2 Martii 1646. (34. Neque potest, usquequo discedat, summam taxatam pro recessu prætere. Sac. congregat. episcop., in *Cajacen.* 23 Novemb. 1640.

(35. Si vero episcopatus habet tenues redditus et, detracta provisione prædicta, non posset episcopus cum residuo decenter sustentari, leberet fieri nova taxatio, et dimini prædicta provisio, habita ratione paupertatis episcopi. Sac. congregat. Episcop., in *una nullius, Altamura,* 7 Decembr. 1604, et in *alia* 2 Augusti 1647. (36. Quæ moderatio potest, imo debet fieri ad scuta centum quinquaginta, et aliquando ad centum pro prædicta ratione paupertatis et tenuitatis reddituum episcopali. Sac. cong. Episc., in *Ferentina* 1653, in *Cotronen.* 3 Octobris ejusdem anni.

(37. Si assignata provisio ipsi retardetur, potest ipse vicarius auctoritate apostolica fructus mensæ episcopalis sequestrare, quousque satisfactionem recipiat. Sac. congregat. Episcop., in *Cajacen.* 29 Novembr. 1600, in *Theanen.* 17 Septembr. 1602.

(38. Vicarius Apostolicus, ultra provisionem prædictam una cum accessu et recessu debet habere solita emolumenta vicariatus, et honoraria pro decretis; non tamen habere debet, nec recipere potest emolumenta, quæ proveniunt ex sigillo: illa enim spectant ad episcopum, sive ad mensam. Sac. cong. Episc., in *Aquilana* 24 Octobr. 1585, in *Theanen* 21 Augusti 1615.

(39. A sententiis vicarii Apostolici appellatur ad metropolitanum, non ad Papam, ut

declaravit sacra congregat. Episcop., facto verbo cum sanctissimo Papa Gregorio XIII, in *una Salernitana* 7 Julii 1580, et in *Caputaquen.* 22 April. 1686.

(40. Vicarius Apostolicus non potest absolvere a censuris Sedi Apostolicæ reservatis sub quocunque prætextu et causa. Sac. congregat. Immunitat., in *Consentina* 10 Maii 1633, lib. II *Decretor.* Paul., pag. 156.

(41. Non habet auctoritatem extrahendi confugitos, nec res a loco immuni; et homicidam a se extractum tenetur restituere Ecclesiæ. Sac. congregat. Immunitat., in *Nolana* 2 Apr. 1695, lib. II *Decret.* Vall. p. 180.

(42. Vicario Apostolico prohibetur concedere terminum et recursum in causis violatæ Immunitatis sacr. congregat. Immunitat., in *Licien.* 26 Junii 1629, l. I *Decret.* Paul. p. 43.

(43. Acriter monetur vicarius Apostolicus Reatinus ob commissionem causæ violatæ immunitatis, et libertatem datam archiepiscopo N. commoranti in regno sub motivo, quod in regno nequeant exsequi decreta emanata a iudicibus in statu ecclesiastico existentibus absque exsequatur regio. Sac. cong. Immunitat., in *Reatina* 8 Augusti 1702, lib. III *Decret.* Vallem., pag. 435.

(44. Reprehenditur, quia permisit curiæ laicali extrahere cadaver ab ecclesia pro recognitione corporis delicti. Sac. congregat. Immunitat., in *Sorana* 13 Januarii 1699, lib. I *Dec.* Vallem., p. 197.

(45. Item, quia requisitus renuit procedere contra violatores Immunitatis ecclesiasticæ. Sac. congregat. Immunitat., in *S. Agathæ Gothorum* 10 Februarii dicti anni, et lib., pag. 203.

(46. Eidem præcipitur, ut incumbat carcerationi complicitis homicidii facti in ecclesia. Sac. cong. Immunitat., in *eadem* 5 Maii dicti anni, et lib., pag. 219.

(47. Eidem datur facultas extrahendi et assecurandi res ad mensam episcopalem pertinentes existentes in locis immunitibus. Sac. cong. Immunitat., in *Hayeracen.* 19 Febr. 1694, lib. I *Decret.* Vallem. pag. 172.

(48. Item datur facultas perquirendi et extrahendi ex palatio episcopi res spectantes ad episcopum, exceptis sacris supellectilibus. Sac. cong. Immunitat., in *Nolana* eadem die, *ibid.*

(49. Cum facultate Apostolica potest consignare curiæ laicali res, et acta corporis delicti cum solita præservazione. Sac. cong. Immunitat., in *Immolan.* 30 Novembris 1695, lib. I *Decret.* Vallem., pag. 23.

(50. Vicarius Apostolicus, sicuti solet mitti propter plures et diversas justas causas, ita propter plures et diversas justas causas solet removeri. (51. Causæ autem præcipuæ, propter quas solet mitti seu deputari, sunt sequentes. Primo, si episcopus male gubernet. Secundo, si sit sordidus. Tertio, si sit senex. Quarto, si sit suspensus a jurisdictione. Quinto, si non expedivit Bullas per multos annos. Sexto, si sit morosus in pensione solvenda. Septimo, si sit processandus. Octavo, si sit

vocatus ad Urbem. Nono, si non resideat. Decimo, si non vult recipere vicarium missum ab Urbe. Undecimo, si moriatur morte violenta. Duodecimo, si capitulum in electione vicarii capitularis non concordavit. Tertiodecimo, si capitulum eligit indoctum. Quartodecimo, si vicarius capitularis vocetur ad Urbem. Quintodecimo, si Ecclesia diu vacavit. Sextodecimo, si interesse cameræ Apostolicæ ita requirit. Decimo septimo, si negligit episcopus exsequi decreta visitationis Apostolicæ. Decimo octavo, propter utilitatem Ecclesiæ. Decimo nono, propter aliquos gravissimos respectus. Vicesimo, propter inhabilitatem vel impedimentum episcopi.

(52. Causæ vero, propter quas vicarius Apostolicus solet removeri, sunt præsertim sequentes. Primo, si episcopus non sit solvendo. Secundo, si Ecclesia fuit provisiva de pastore. Tertio, si episcopo restituatur jurisdictione. Quarto, si ipse vicarius pecuniam indebite extorqueat. Quinto, quando non defendit Immunitatem. Sexto, quando in ipso detegitur aliqua infamia prius ignorata. Septimo, si damnatus sit, ex quo converseatur cum bannitis. Octavo, si filios bastardos habeat prius ignoratos. Nono, si illicite negotietur. Decimo, si sit exosus populo et clero. Undecimo, si contra prohibitionem expressam sacræ congregationis practicam cum monialibus habeat. Sic doctissimus Pellegrius, in *Praxi vicariorum*, p. I, sect. 6, ubi omnes supradictas causas tum deputationis, cum remotionis assignat, afferens pro omnibus decreta sacræ congregationis, et insuper formulam deputationis per extensum.

(53. Vicario Apostolico in omnibus Ecclesiis et ecclesiasticis functionibus debentur tantum illæ prærogativæ, quibus gaudet vicarii generales episcopi, et titulus illustrissimi vicario Apostolico non debetur. Sac. Rit. cong. in *Spoletana* 12 August. 1684, et in *Imolen.* eod. die et anno.

(54. Vicarius Apostolicus a Pontifice per se immediate vel per sacram congregationem Episcop. et Regular. Ecclesiæ vacanti vel plenæ præficitur triplici de causa, nempe, vel quia timetur de nimium diuturna sedis vacatione; vel quia episcopus ob senectutem, aut adversam valetudinem inhabilis effectus est ad Ecclesiam regendam; vel quia ab ejusdem Ecclesiæ administratione suspensus vel remotus fuit; Bened. XIV, *De synodo diœcesana*, lib. II, cap. 9, num. 7.

(55. Ejus facultas modo amplior, modo strictior est; cum pro sacræ congregationis libito aliquando amplietur, et aliquando limitetur, prout exigunt rerum circumstantiæ, in quibus constituitur; (56. unde ne erret in ministerio, debet facultates sibi concessas accurate perpendere. Idem, *ibid.*, num. 7. (57. Potest et debet sine episcopo Ecclesiæ, cui præfectus est, celebrare synodum diœcesanam. Idem, *ibid.* Vide supra, n. 5, ubi quod ad vicarium Apostolicum solum sine interventu episcopi spectat facere concursus, sicut et synodum,

et declarare magis idoneum; ut declaravit S. C. Episc. et Regular., in *Licien.* 9 Junii 1608 et in *Bisimianen.* 16 Maii 1635. (58. Et n. 51 et 52, ubi viginti assignantur diversæ justæ causæ, propter quas solet mitti vicarius Apostolicus, et duodecim propter quas solet removeri.

(59. Vicarii Apostolici Indiarum Orientalium non habentes episcopum cum futura successione, tenentur assumere vicarium generalem. Bened. XIV, constitut. incip. *Ex sublimi*, § 1. (60. Et eidem assumpto vicario generali conceduntur omnes et singulæ facultates competentes vicariis capitularibus cathedralium sede vacante. (61. Eidemque post Apostolici vicarii obitum conceditur usus et exercitium earum facultatum, quibus gaudebat, dum viveret, defunctus Apostolicus vicarius episcopi, iisduntaxat exceptis, quæ requirunt ordinem et characterem episcopalem, vel non sine unctione sacrorum oleorum exercentur; et quodcumque necessitas urgeat, eidem conceditur facultas consecrandi calices, patenas et altaria portatilia, cum sacris oleis omnino ab episcopo benedictis. Idem, *ibid.*, § 3.

(62. Vicarii Apostolici per quascunque regiones constituti, qui episcopi non sunt, tenentur sibi provicarium eligere; idem constit. *Quam ex sublimi*, § 2.

(63. Alia de vicariis Apostolicis in Anglia constitutis. Vide verb. MISSIONARIUM.

## ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(64. Mitti solet vicarius Apostolicus, tum sede episcopali vacante, tum sede episcopali plena. (65. Priori casu exsequi potest litteras quæ dirigi solent vicariis episcoporum, concedere dimissorias post annum, et intra annum arctatis, ac si esset vicarius capitularis, nisi ei specialiter prohibeatur: Vulp., in *Prax. for. eccles.*, cap. 7, n. 15; Marchett., in *Prax. vicar. capit.*, part. II, tit. 15, n. 64; Bass. *De vicar. Apostol.*, tit. 2, n. 1; Panimoll., dec. 1, adnot. 5, n. 9; (66. tum conferre beneficia liberæ collationis; Marchett., in *Prax. vicar. capitul.*, part. II, tit. 32, n. 15; Bass. *De vicar. Apostol.*, tit. 2, n. 1. (67. Solet vero, ut plurimum in Brevi, vel litteris facultas hæc concedendi litteras dimissorias, et conferendi beneficia limitari. Monacell., part. II, tit. 16, formul. 8, in princip., et rursus in adnot. sub n. 8 in fin., et præterea formul. 9.

(68. Item potest concedere monitoria pro revelatione, et contra non revelantes devenire ad excommunicationem. Marchett., in *Prax. vicar. capitul.*, part. II, tit. 22, n. 7; Bass. *De vicar. Apostol.*, tit. 2, n. 5.

(69. Potest præterea eligere concionatores. Bassi, *De vicar. Apostol.*, tit. 7, n. 6.

(70. De eo vero est dissensio, an possit erigere beneficia cum reservatione jurisdictionis. Vide DD. apud Bass. *De vicar. Apostol.*, tit. 2, n. 10.

(71. Convenit vero inter omnes quod possit alieno episcopo ad formam concilii *Trident.*, sess. VII, cap. 5, impertiri licentiam exercendi pontificalia, tum conferendi or-

dines non solum subditis diocesis necessariis requisitis suffultis, sed etiam subjectis eidem episcopo ordinanti, imo etiam aliis aliunde cum dimissoriis suorum ordinariorum confluentibus. Priviter., in *Manual. antist.*, p. 86 per tot.; Bass. *De vicar. Apost.*, tit. 2, n. 11.

(72. Ad differentiam vicarii episcopi, tum capituli, vicarius Apostolicus utitur proprio sigillo ac titulo vicarii Apostolici, et aliis decoratur honoribus hujusmodi vicariis concedi solitis ad instar præsulum. Pigna-

## VICARIUS CAPITULARIS.

## ARTICULUS I.

Quoad ea quæ concernunt ejus electionem, qualitatem, initium et finem suæ jurisdictionis.

## SUMMARIUM.

1. Vicarius capitularis est eligendus a capitulo infra octo dies post mortem episcopi, alias electio devolvitur ad metropolitanum, ad n. 40. — 41. Quis possit eligi in vicarium capitularem, ad n. 48. — 49. Alia ad rem ad n. 68.

(1. Vicarius capitularis est eligendus a capitulo infra octo dies post mortem episcopi, alias electio devolvitur ad metropolitanum. *Communis*, textu expresso in concilio *Tridentino*, sess. xxiv, *De reform.*, cap. 16, ibi: « Item officialem, seu vicarium infra octo dies post mortem episcopi constituere vel existentem confirmare omnino teneatur, qui saltem in jure canonico sit doctor, vel licentiatum, vel alias quantum fieri poterit, idoneus; si secus factum fuerit, ad metropolitanum deputatio hujusmodi devolvatur. »

(2. Et si Ecclesia ipsa fuerit metropolitana aut exempta, et capitulo intra octo dies vicarium capitularem non elegerit, tunc electio vicarii capitularis pro metropolitana devolvitur ad antiquiorem ex episcopis suffraganeis, et pro Ecclesia exempta devolvitur ad episcopum propinquiorem. *Communis*, textu expresso in ipso concilio *Tridentino*, loco citato, ibi: « Et si Ecclesia ipsa metropolitana fuerit, aut exempta, capituloque, ut præfertur, negligens fuerit, tunc antiquior episcopus ex suffraganeis in metropolitana, et propinquior episcopus in exempta œconomum et vicarium idoneos possit constituere. »

(3. Ante concil. *Tridentinum* tamen de jure communi non tenebatur capitulo vicarium constituere, sede vacante, sed poterat per se ipsum jurisdictionem exercere. Abbas, in cap. *Irrefragabili*, n. 2. De officio ordinarii; Felin., in cap. *Cum olim*, n. 9. De majorit. et obedient.; Fagnan., in cap. *His quæ*, eod. tit., n. 16; Pellegrin., in *Praxi vicariorum*, part. 1, sect. 4, subsect. 2, n. 5, et alii passim.

(4. Capitulo non potest cogi ad creandum vicarium intra pauciores dies quam octo, sed potest gaudere termino a sacro

(125) Et P. Andreas Hieronymus Andreucci in egregio de vicariis commentario, p. 1, quæ tota est

tell., *Consult. canon.*, tom. IX, consult. 159, n. 10 et seq.; Learen., *De vicar.*, cap. 5, q. 599, n. 2.

(73. De vicario Apostolico sede plena deserit auctor, sed vide etiam de eo Bass., dict. tract., tit. 3 et per tot.

Viaculum esset, si hic haud moneremus, quod ubi res postulat, consulendus præ cæteris de vicario Apostolico est, sanctæ et immortalis memoriæ Benedictus XIV, *De synodo diocesan.*, lib. II, cap. 10 per tot. (125).

concilio sibi dato. Vide verb. CAPITULUM, art. 3, n. 29.

(5. Et infra illos dies, antequam vicarium constituat, exercitium jurisdictionis spectat ad totum capitulo in solidum, non autem ad primam dignitatem. Vide, *ibid.*, n. 30.

(6. Capitulo nedum potest eligere vicarium capitularem post mortem episcopi, sed etiam quando Ecclesia vacat per translationem episcopi ad aliam Ecclesiam. Vide, *ibid.*, n. 31.

(7. Et Ecclesia vacat per translationem episcopi statim ac habita fuit notitia, etiam ex testimonio seu documento secretarii Sacri Collegii, quod episcopus a suæ Ecclesiæ vinculo absolutus fuit in consistorio Sanctitatis Suæ, etiam ante expeditionem litterarum Apostolicarum, vel adeptam possessionem secundæ Ecclesiæ; tunc enim capitulo potest, et debet sedem vacantem publicare, et vicarium juxta concilii *Tridentini* præscriptum eligere. Vide, *ibid.*, n. 31.

(8. Sic etiam capitulo potest constituere vicarium in casu quo episcopus efficiatur captivus ab hostibus catholicæ fidei. Vide, *ibid.*, n. 32.

(9. Item sedes vacat, si episcopus ingrediatur aliquam religionem, et tunc capitulo potest eligere vicarium capitularem. Vide, *ibid.*, n. 33.

(10. Item vacat sedes per renuntiationem. Vide, *ibid.*, n. 34. (11. Similiter vacat sedes per depositionem vel relegationem. Vide, *ibid.*, n. 35.

(12. Non potest tamen capitulo constituere vicarium in casu quo episcopus sit excommunicatus vel suspensus, vel in casu quo, episcopo in remotis degente, vicarius generalis ab ipso relictus moriatur, vel a principe sæculari ejiciatur a diocesi, quia tunc recurrendum esset ad Sedem Apostolicam pro provisione. Vide, *ibid.*, n. 36.

(13. Capitulo non potest devenire ad electionem vicarii capitularis ante certam notitiam vacationis. Vide, *ibid.*, n. 37.

(14. Capitulo neque potest devenire ad electionem vicarii capitularis post habitam notitiam mortis, vel translationis episcopi, quando vicarius episcopi defuncti vel translati missus fuerat a Papa, vel a sacra congregatione Episcoporum. Vide, *ibid.*, n. 38.

de vicario Apostolico, et exstat lib. 1 *Hierarchiæ ecclesiasticæ*, a pag. 235.

(15. Electio vicarii capitularis debet fieri, capitulo more solito capitulariter congregato, et per secreta suffragia, alioquin nulla est. Vide, *ibid.*, n. 39.

(16. Capitulo non potest eligere in vicarium capitularem, nisi unum tantum; et si eligat plures, electio devolvitur ad metropolitanum; si tamen plures successive eligit, primo electus debet continuare; dummodo habeat requisita. Vide num. 40.

(17. Potest tamen capitulo duos vicarios constituere, ut alternis mensibus vicarii munere fungantur, si legitimam habeat ad id consuetudinem ab immemorabili servatam sine interruptione, et electi sint præditi omnibus qualitatibus, quas Tridentinum requirit. Vide, *ibid.*, n. 41.

(18. Facta semel per capitulo electione vicarii capitularis, non potest illum ad libitum revocare et novum constituere. Vide, *ibid.*, n. 42.

(19. Si tamen adesset justa causa illum revocandi, debet prius habere licentiam a sacra congreg. Episcoporum. Vide, *ibid.*, n. 43.

(20. Imo non potest per capitulo revocari vicarius capitularis, eliamsi sit electus cum clausula quod possit revocari ex causis sibi benevisis. Vide, *ibid.*, n. 44.

(21. Plures sunt causæ, propter quas solet sacra congregatio Episcoporum facultatem concedere removendi vicarium capitularem, ut indignum, et tales causæ assignantur, *ibid.*, num. 42.

(22. A capitulo pro electione vicarii capitularis non debent vocari canonici absentes, nisi commode fieri possit. Nec ita absentes possunt mittere aut constituere procuratorem ad ferendum in electionem suffragium. Vide, *ibid.*, n. 46.

(23. Si tamen adsit consuetudo legitime præscripta admittendi in electione canonicos absentes per procuratorem, talis consuetudo esset intelligenda et restringenda ad absentes solummodo intra provinciam, et ibidem detentos aliquo legitimo impedimento de tempore actualis electionis vicarii. Vide, *ibid.*, n. 47.

(24. Et si econtra adesset consuetudo non vocandi quoquomodo absentes a civitate, servanda esset. Et tanta est vis consuetudinis, quod a capitulo pro electione vicarii, præter canonicos, vocandi sunt etiam illi qui de jure non sunt de capitulo, ut portionarii, alique beneficiati Ecclesiæ, si adsit consuetudo legitime præscripta illos vocandi. Vide, *ibid.*, n. 48.

(25. Si autem consuetudo non sit pacifica et legitime præscripta, sed solum pauci actus efferantur, in quibus ii qui non sunt de corpore capituli fuerint admissi ad suffragium ferendum, tunc capitulo potest illos excludere. Vide, *ibid.*, n. 49.

(26. Capitulo debet pro vicario capitulari eligere unum qui sit de gremio capituli, si adsit idoneus. Vide, *ibid.*, num. 52.

(27. Et qui sit doctor, alias electio esset nulla. Vide, *ibid.*, num. 51.

(28. Nec sufficit quod sit magister in sacra

theologia, sed debet esse saltem doctor in jure canonico. Vide, *ibid.*, num. 52.

(29. Nec etiam sufficit quod sit doctoratus a persona privata, sed in aliqua universitate. Vide, *ibid.*, num. 53.

(30. Habilis tamen non doctor tolerari potest, si doctor haberi non possit. Vide, *ibid.*, num. 54.

(31. Debet tamen vicarius non doctor eligere sibi consultorem benevisum, qui sit doctor, et in rebus legalibus et arduis peritus, a quo possit dirigi. Vide, *ibid.*, num. 55.

(32. Si capitulo eligat aliquem non doctorem, quando adest doctor, ex quo talis electio sit nulla, tunc electio devolvitur ad metropolitanum. Vide, *ibid.*, num. 56.

(33. In casu tamen quo vicarius deputatus per metropolitanum ob malam electionem capituli, vel ob ejus negligentiam, decederet, tunc posset capitulo novum eligere vicarium infra octo dies, ut prius. Vide, *ibid.*, num. 57.

(34. Capitulo non potest in electione, seu deputatione vicarii apponere restrictivam, ut vicarius capitularis non possit procedere contra aliquem capitularem absque consensu capituli. Vide, *ibid.*, num. 58.

(35. Vel sine adjunctis. *Ibid.*, num. 59.

(36. Nec potest apponere in electione conditionem, ut participet capitulo de emolumentis ex officio vicariatus provenientius. Vide, *ibid.*, num. 60.

(37. Nec potest capitulo reservare sibi facultatem signandi supplicationes, distribuendi conciones, vel habendi superintendentiam seminarii. Vide, *ibid.*, num. 61.

(38. Vel faciendi gratiam condemnatis ab ipso vicario, vel cognoscendi de causis suspicionis ipsius vicarii, ac judicem non suspectum partibus deputandi, vel cum alia quacunque restrictione insolita. Quod si vicarius capitularis electus fuerit cum hujusmodi restrictionibus, poterit nihilominus libere uti sua jurisdictione absque ullo respectu supradictarum conditionum. Vide, *ibid.*, num. 43.

(39. Capitulo enim post electionem vicarii nullam exercere potest jurisdictionem, quia post electionem tota jurisdictio episcopalis transit ad vicarium capitularem privative quoad capitulo, non cumulative. Vide, *ibid.*, num. 63, verb. Ordo, art. 3, num. 42.

(40. Unde substitutio facienda propter absentiam vicarii spectat ad ipsum vicarium, et non ad capitulo. Vide, *ibid.*, num. 64.

(41. Vicarius capitularis potest esse canonicus ejusdem Ecclesiæ, qui in eadem civitate et Ecclesia curam quoque gerit animarum. Sac. congregat. Episcop., in *Ortonen.* 19 Martii 1619, et 19 Julii ejusdem anni. (42. Ubi etiam fuit declaratum quod contrariæ decisiones, nempe quod parochus nequeat eligi in vicarium capitularem, intelliguntur de parochia rurali. Sic refert decisionem ad litteram Barboza, *De canonicis et dignitatibus*, c. 42, num. 38.

(43. Vicarius capitularis eligi debet æta-